



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1276 Usque Ad Annum 1312

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1766

VD18 90118251

§. 20. Rogerius Baco ex Ordine Minorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67012](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67012)

Sæcul. XIII.
A. C. 1278.

§. XX.

Rogerus Baco ex Ordine Minorum.

Cum Cardinalis Hieronymus Asculensis negotii hujus causa Parisiis ageret, Frater Rogerus Baco Anglus ex Ordine Minorum Theologicæ facultatis Oxoniensis Doctor apud illum accusabatur, quod nova & suspecta quædam doceret. Percuriosus erat & subtilissimo vir ingenio, omnia litterarum genera amplexus, grammaticam non latinam modo, sed Græcam quoque ac Hebraicam, poësim, rhetoricam, historiam, philosophiam, artes mathematicas, medicam, chymicam, jurisprudentiam, theologiam. S. Edmundi Cantuariensis discipulus amicusque fuerat, & Papæ Clementi IV apprimè cognitus. Postquam igitur ejus doctrina ad Cardinalem Asculanum Ministrum Ordinis Generalem delata erat, hic eam ex complurium Fratrum sententia damnavit, ac nequis suorum eam sequeretur, prohibuit, authorem vero in carcerem conjecit. Rogerus vitam posthæc sexennio ductam anno 1284 Oxonii finiit, ingentem librorum numerum relinquens, quorum aliqui typis mandati, reliqui etiamnum manu scripti in bibliothecis dantur. Sed nullus eorum satis est

Vading.
1278. n. 26.
Id. 1266. n.
14. Es script.
p. 309

Id. 1284. n.
12. v. caro
p. 513.

est celebrer, ut respondeat laudibus, quas scriptores recentiores Rogerio tribuerunt.

Sæcul. XIII.
A.C. 1278.

§. XXI.

Petrus Brossius ex beato miserrimus.

Petrus Benefius Episcopus Bajocassinus se ad Papam contulerat, eo quod Petrus Brossius patronus ejus in offensionem Regis Gallorum incurrisset: id quod exponi meretur. Petrus Brossius homo loco humili natus, cum S. Ludovici chirurgum, deinde Philippi Audacis cubicularem egisset famulum, tanta hunc apud Principem gratia florebat, ut summos Proceres benevolentiam suam aucupari cerneret, ac Petrum Benefium uxoris cognatum sua opera evasisse Bajocassinum Episcopum. Anno 1276 obierat Ludovicus Regis Philippi e priore conjugate Isabella Arragonia filius natus maximus: rumorque fuit, ei venenum esse præbitum. Rex suspicabatur Petrum Brossium fuisse authorem hujus rumoris pessimi spectantis ad Ludovici mortem Reginæ Mariæ Brabanticæ secundæ conjugis suæ adscribendam. Et vero dicebatur idem alteris duobus e priore conubio Regis filiis factura esse. Post aliquod tempus Rex Brossii litteris ad se perlatis hominem includi carceri, de hinc

Duchesne
to. 3. p. 529.

p. 532.

e. 536.

C 5 e com-